

Eorum in
iudicio
qualiter
Delegata.

Et Delega-
tis quid
prohibet
ex generali
statuto.

Cap. Sta-
tutum, de
Rescriptis
in 6.

Quid ut
ordinarij.

Notanda
regula cir-
ca obliga-
tionem re-
stitutionis
non urgen-
dam.

tores iudices esse, licet sententia cum diversitas sit, an ordinaria, vel pure delegata iurisdictione potantur. Pro quo videri possunt Magist. Sola in *Aphorismis Inquisitorum*. Lib. 1. Cap. 2. Diana Parte 4. Tractatu 8. Resolut. 1. Pater Palau Tomo 1. Tractat. 4. Disputat. 8. Puncto 13. §. 2. numer. 2. Pater Molina Tractatu 5. de Iurisdictione, Disputat. 29. §. Illa vero ratione. Pater Azor Tomo 1. Lib. 8. Cap. 18. Rubrica de Inquisitoribus, Quasi. 6. Pater Fragoius Tomo 2. Lib. 5. Disputat. 13. numer. 61. Casar Carena Tractatu de Officio S. Inquisitionis, Parte 1. Titulo 5. numer. 60. Cuius resolutio satis est verosimilis, dum ait iurisdictionem Inquisitoris esse delegatam: habere tamen omnia privilegia & prerogatiuas (deductis omnibus imperfectionibus) iurisdictionis ordinariæ. Iuxta hæc ergo non solum accipere esculenta & poculenta possunt à Iure permilla, de quo Pater Thomas Sancius Lib. 3. Confessor. Moral. Cap. unico, Dub. 2. & nos supra. sed quicquid liberaliter titulo consanguinitatis, amicitia, & similibus fuerit liberaliter impostum; respectu enim donationum huiusmodi officium Inquisitorum materialiter se habet. Pro quo videnda, quæ diximus Titulo 3. numer. 31. & Titulo 4. numer. 12. vbi de laicis iudicibus, quibus non minus strictæ leges circa munerum acceptiones impostæ reperitur.

15 Et quidem si ut iudices delegati considerentur, dispositio Iuris de illis non agit, nisi quando in negotiis inter partes iurisdictionem exercent, ut constat ex Cap. Statutum, de Rescriptis in 6. vbi sic dicitur: *Insuper, ut gratis, & cum omni puritate, iudicium coram ipso procedat: nullum munus, vel quicquid aliud, nisi forsitan esculentum, vel poculentum, mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque presumat.* Sic ibi. Quod quidem satis alienum est ab Inquisitorum officio, quibus commissio illa temporalis non fit, sed perpetua ex vi officij, & iurisdictionem inter partes non exercent. Quod autem ad casum attinet, in quo sumus, cum de muneribus agamus, quæ ab iis, qui causam non habent pendente, sed liberaliter conferuntur, satis ex prædicta decisione, quod asserimus, comprobatur.

16 Si verò de Ordinariis iudicibus sermo sit, pro illis Constitutio Iuris specialis non habetur, sed Doctores ex dispositis circa Delegatos, idem esse dicendum arguunt, quia in Ordinariis maior videtur esse ratio, ut videri potest apud P. Sancium supra, numer. 5. Non ergo aliter philosophandum de illis in eo, de quo agimus, & ita quando negotium pendens non habetur, nec de proximo habendum præsumitur, idem dicendum est, & consequenter de Inquisitoribus, quatenus eorum iurisdictione ordinaria est. Facit autem pro huiusmodi positione id, quod ex Syluestro, & Glossa statuit P. Sancius num. 2. quod & ipse amplectitur, scilicet ex mera liberalitate donata censeri, quæ non sunt exacta aut petita directè vel indirectè. Quæ regula satis est iudicibus favorabilis, & iurare

potest ne ad restitutionem à Confessariis compellantur, quando illa agrè fieri potest. Et in discurfu Capituli, de Inquisitoribus locuti sumus pro certo habentes in Clementinâ dicta comprehendendi, quod receptissima sententia tenet: cum tamen sint qui contrarium sentiant, & ex tenore illius id conentur deducere, ut videri potest apud Dianam citat. Resol. 28. qui & id non videtur improbabile reputare.

De eo autem, quod in eadem Clementinâ circa confiscationem bonorum Ecclesiæ disponitur, nihil dicam, quia casus rarus est, etiam acciderit aliquando: videri pro eo poterunt Bonacina, Carena, P. Suarius, P. Fragoius, P. Sancius, & alij, quos ipsi adducunt.

CAPVT II.

De Inquisitorum culpa, dum ex immerantia affectuum, potestatem exercent aut suspendunt.

17 Idem qui supra Pontifex, graui abusu Inquisitorij potestatis damna, si, quod absit, contingeret, recognoscens, ita statuit Clement. 1. de hereticis. §. Verum quia post alia nonnulla: *Episcopo, & Inquisitori prædictis, ac alijs, ad dicti executionem officij substituendis ab eis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis eterne præcipimus, ut sic discretè & promptè contra suspectos vel diffamatos, de huiusmodi prauitate procedant, quod malitiosè aut fraudulenter tantam labem, seu quod ipsos in officio sanctæ Inquisitionis impediatur, falso alicui non imponant. Quod si odij, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra iustitiam & conscientiam suam omiserint contra quemque procedere, vbi fuerit procedendum super huiusmodi prauitate: aut obtentu eodem prauitatem ipsam, vel impedimentum officij sui alicui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare: præter alias culpas pro qualitate culpe imponendas eisdem, Episcopus, aut Superior suspensionis ab officio per triennium, alij verò excommunicationis sententiam eo ipso incurrant. A qua quidem excommunicationis sententiâ, qui eandem incurrerint, nisi per Romanum Pontificem nequeant, præterquam in mortis articulo, & tunc satisfactione præmissa, absolutionis beneficium obtinere.* Hæc ille. Cuius dispositio, licet generalis sit, pro Indiis catenus exponendam assumimus, quatenus priuati affectus in illis magis videntur prævalere. Et quia quod de reseruatione excommunicationis dicitur, specialem in illis difficultatem habet ob distantiam singularem. Circa illam ergo

18 Dico primò. Poena imposta in prædicta Clementina solum habere locum potest, quando affectus interior exteriori opere, quod graue peccatum aliàs sit, sufficienter redditur manifestus; ex eo principio quod actus merè interni iudicio Ecclesiæ non subiacent. Pro quo faciunt quæ adducit Glossa verb. *Episcopo incurrant*; licet ibidem cum nonnullis Doctoribus contrarium amplectatur; quod & tenent plures alij apud P. Suarium Disput. 21. de Fide, Sect. 2. & P. Thomam Sancium in Opere morali, Lib. 2. Cap. 8. num. 1. qui tamen pro Assertionem statuit. Prior quidem num. 12. & alter numer. 7. quos sequuntur P. Palau Tomo 1. Tractat. 4. Disputat. 3. Puncto 3. numer. 7. P. A-

Es notanda
quorundam
sententia.

Clement. 1.
de hereticis,
statutum
circa præ-
dictos.

Assertio 1.
actum me-
ri interni
ad incur-
rendam po-
enam non
sufficere.

Circa P.
Suarij sen-
tentiam.

Assert. 2.
Clementinâ
non esse mul-
tâ formi-
dabilem, ob
duo rati-
onem
omissionis
peccata,
propter qua
excommu-
nicatio.

Assert. 3.
omissionis
peccati cir-
ca heresim
tantum
versari,
quod poena
subijciatur.

P. Amicus Disput. 5. de Injustitiâ, Sect. 5. & specialiter pro calu nostro num. 140. Diana Parte 5. Tractat. 5. num. 32. vbi adducit P. Petrum Hurtadum de Mendoza, & Tractat. 9. Resolut. 41. vbi multò plures, & in ius P. Vasquez, P. Gasparum Hurtadum, qui in casus nostri specie loquuntur; & Resolut. 41. vbi P. Suarium quasi contrarium inducit ob ea, quæ habet Tomo 5. in 3. p. Disput. 4. Sect. 2. num. 18. Sed quicquid de P. Suarij asserto sit, in adducto à nobis loco, qui curæ posterioris est, satis illius mens habetur comperta, iuxta quam prius illud est explicandum, ut ceteris digladiario P. Turriani Lib. 1. de Censuris, Disputat. 4. Dub. 2. Tenet etiam Bonacina Tomo 1. Disput. 1. Quasi. 1. Puncto 3. numer. 7. inunctis iis, quæ habet numer. 4. vbi calus nostri meminit, & alij quamplures.

19 Dico secundò. Licet prædicta Clementina formidabilis appareat, reuera non est cur multum illa ab Inquisitoribus timeatur. Ratio est: quia quod ad commissionis peccatum pertinet, duo in illâ tantum excommunicationis reueratæ fulmine feriuntur. Primo, imposuisse alicui heresim ob prauum Inquisitoris affectum: de hereticâ siquidem prauitate Clementina procedit, ut ex illius tenore habetur expressum. Secundo, imposuisse aliquid, per quod in executione officij S. Inquisitionis aliquis impediatur. Talia autem sunt, quæ obstant quo minus officium tale possit haberi, ut si opponatur esse ex impuro sanguine, aut defectus alij. Quis autem non videat primum illud esse rarissimum & vix auditum? Quidquid illorum temporum malignitas tulerit, in quo Clementis Pontifex taliter decernebat. Secundum autem non ita verum esse potest, ex eo quod inter Ministros S. Tribunalis oriri aliquæ similitates possunt, & ita periculum infamationis ipsorum. Sed quidem cum ad certas personas determinata Censura fit, ex eâ parte non est materia timoris magni: cum aliunde ut quis ad officia S. Inquisitionis admittatur, exacta præcedere probatio solet, quam non facillè fuerit Inquisitori conuellerè, nisi forè falsorum testium inductione: quod cum perditissimorum hominum sit, vix potest esse credibile à tantæ dignitatis hominibus attendendum. Clementis verò temporibus quia non ita exactæ requirebantur probationes, periculum circa prædicta timeri potuit, quod illi visum est Constitutione prouidissimâ submouere.

20 Dico tertio. Quod ad peccatum omissionis pertinet, illud tantum excommunicationi respectu Inquisitorum in prædictâ Clementinâ subiicitur, quod ad causam heresis spectat. Id videtur clarum ex illius tenore, dum sic dicitur: *Si omiserint contra quemquam procedere, vbi fuerit procedendum super huiusmodi prauitate.* Peccabant equidem grauius, si omittere contingat in causis alijs grauius ad S. Tribunal spectantibus processum necessarium, sed excommunicationi minimè subiacebunt. Immo si ex negligentia aut tardio quodam casus huiusmodi ita se gesserint, non videntur Censuræ subiecti, quia in illâ i tantum comprehensi, qui odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, procedere omiserint. Et cum lex penalis sit, ad designatos debet arctari terminos, iuxta dicta num. 12. & tenet in terminis P. Suarez Tomo 5. in 3. p. Disputat. 31. Sect. 1. Theauri Indici Tom. II.

5. num. 16. alios adducens. Neque enim dici potest Inquisitorem, qui ob vitandum laborem id, quod sui est muneris, omittit, obtentu commodi temporalis moueri; quia de alio temporali commodò sermo est, iuxta vitatum in Iure loquendi modum & Doctorum stylium. Et in calu nostro in commodum potius vitari intenditur, quam nouum aliquod commodum comparari. Idem de metu dicendum est cum eodem & alijs apud ipsum.

21 Dico quarto. Circa absolutionem ab excommunicatione id dicendum, quod circa aliam similem à nobis dictam numer. 13. Circa id verò quod additur in articulo mortis absolutionem conferendam, & tunc satisfactione præmissa, bene aduertit P. Suarius Tomo 5. citato, Disput. 22. Sect. 4. numer. 1. intelligendum, quantum fieri possit, nam in eo articulo non est absolutio neganda propter illam impotentiam. Circa absolutionem autem à suspensione, quam Episcopi contrahunt, dictum est ab eisdem Disput. vltima, de suspensione, Sectione 6. vbi tamen de illa non agit, sed de aliâ ex Concilio Tridentino. In secunda autem Rubrica 2. eam Textu inducto proponit, sed nihil addens circa illius absolutionem. Dici autem potest circa istam id, quod circa absolutionem ab Interdicto diximus Titulo 13. numer. 22. satisfactâ inquam parte, absolui posse virtute Bullæ Cruciatæ, & Priuilegiorum Regularium. Iuxta ea, quæ traduntur circa Bullam P. Auila de Censuris, Disputat. 6. Dub. 2. P. Laymam Tractat. 5. Parte 3. Cap. 4. P. Mendis in Bullam Cruciatæ, Disput. 25. numer. 30. & circa Priuilegia Bullæ. verb. *Suspensio* 3. n. 4. Quamquam videri alicui posset absolutionem cuiuscumque ordinario Confessori competere, cum reseruatâ non sit: ordinario inquam, qui ratione officij talis sit, ut Parochus, vel Penitentarius; vel etiam ex officio non sit talis, habeat tamen ad id specialem facultatem, dum ea illi, quæ Ordinariis Confessariis concedi sunt solita, conceduntur. Quod quidem est probabile iuxta sensum Auctorum, qui de Parocho & ordinario Confessario loquuntur, vnde neque specialem concessionem videntur exigere in eo, qui Parochus non est, sed generalem habet approbationem ut à Parocho ei committi iurisdictione possit, vel si licentiam etiam habet, ab Ordinario. Pro quo Vivaldus, P. Filiucius, P. Præpositus apud Dianam Parte 5. Tractat. 10. Resolut. 23. Communior autem sententia id tribuit Ordinario ipsi, quæ apud eundem amplectuntur P. Laymam, Henriquez, Auila, & Gaspar Hurtadus, & valde est verosimilis, si de alijs loquamur, qui suspensionem contraxerunt, non verò de Ordinario ipso, quia negotiorum essent suspensiones, si à quolibet ab ipso electo absolui posset, ut bene arguit P. Mendis citat. num. 95. Quamuis si occultâ sit, Episcopus erga se ipsum uti facultate possit, quam pro alijs concedit Concilium Tridentinum Sessio 24. Cap. 6. de Reformat. eam scilicet Confessario contcedens ut se absoluat: quod tenet P. Suarez Tomo 5. citato, Disput. 41. num. 9. & alij, quos adducit & sequitur Dom. Barbosa de Poteft. Episcop. Allegat. 39. num. 15.

22 Dixi autem sententiam priorem esse probabilem iuxta sensum Auctorum, quia illi de suspensione, quæ est Censura, loquuntur, quando videlicet

Assert. 4.
excommu-
nicatio à
quo tolli
possit.

Circa sus-
pensionem
rum se ait
Disput. vltima,
de suspensione,
Sectione 6.
diuersitas
sententiarum.

Communi-
or circa
Confessa-
rium ordi-
narium.

Quod sensus
Auctores
locuti sūt

suspensionem videlicet ad contumaciam imponitur, non autem de illa, quæ pura est pœna, vt contingit in casu nostre, & similibus; quando scilicet imponitur ob delictum præteritum, & ad certum tempus: tunc enim communissima sententia est soli Pontifici referuari, quia est genus quoddam dispensationis imponenti reuertatæ. Pontifex enim Ius viuum est, & si dispensari ab Episcopo posset vtente dispensatione erga seipsum, inutilis prorsus esset, vt nuper argumentabatur: vnde in suspensione ab eodem incurâ id videtur certissimum, quod etiam de aliis communissima, vt dixi, sententia tradit: pro quâ videri potest P. Suarius *Disput. 29. Sect. 1. num. 16. Cardin. Tolerus Lib. 1. Cap. 46. num. 2. P. Gaspar Hurtadus Disput. 12. de Censuris, numer. 32. P. Martinon Tomo 5. Disput. 60. Bassæus citato num. 4. & idem supponit Diana citat. Resolut. 23. & ab eodem adducti Doctores, dum de suspensione tantum, quæ est Censura, loquuntur, vt quamplures alios omittam. Quod ad eod verum putat P. Suarius ex fundamento Glossæ, quia scilicet suspensiones contemnerentur, nec delicta possent pro dignitate puniri, vt sic addat: *Quam ad eod efficacem esse censeo, vt neque ipsi Pontificem neque ipsum summum Pontificem, seu Auctores Canonis, debere facile à tali suspensione absolueri: neque id licite facere posse absque rationabili causa; sicut dicitur de dispensatione in suis legibus, quia eadem est vtriusque ratio, & quia ad bonum commune id maxime expedit.* Sic ille. Cuius grauissimæ sententiæ vis in multis suspensionibus euidenter infringitur, quales esse solent illæ, de quibus agimus, & in quibus idem Pater dispensationem admittit per generalem doctrinam nuper adductam. Si enim suspensio Censura fit, absolui ab eâ potest, qui illam incurrit, ab electo ad illud: si pœna, dispensari, vt ibidem asserit. Addendum tamen ad dispensationem dictam debere sufficientem causam iudicari eam, quæ Pontificem mouet ad concedendam Bullam Cruciatæ: cuius facultas maior est facultate Episcopali: vnde absolui à Confessario potest, etiam in foro exteriori, vt ex P. Henriquez docet Diana *Tractat. 10. citato, Resolut. 53.* licet alij secus iudicent. Est ergo multiplex Episcopis eâ in afflictione refugium, sicut & Inquisitoribus.*

Neque ipsi Pontificem neque ipsum summum Pontificem, seu Auctores Canonis, debere facile à tali suspensione absolueri: neque id licite facere posse absque rationabili causa; sicut dicitur de dispensatione in suis legibus, quia eadem est vtriusque ratio, & quia ad bonum commune id maxime expedit.

P. Suarez.

Quia sufficiens causa dispensationis circa illam.

C A P V T III.

Inquisitores Indicos qualiter peccare possit accidere, causarum expeditione protractâ, etiam vbi ciuilitur agitur.

Quid circa factam in Indici. **D**ifficultas videtur esse communis, sed ad Indicos Inquisitores eatenus applicatur, quod illo maiorem videantur habere licentiam, quia non est, à quo ad eelerem causarum possint conclusionem vrgeri, vnde circa hoc non raræ esse querelæ solent, & alij in alios morarum soliti reuertere rationes, quas non debemus secretissimi fori in seij passim culpabiles reputare. Quia verò homines sunt, & in officio suo grauitur posse delinquere, Sedes Apostolica & Concilium generale iudicauerunt, vt ex

Clementinis. compertum habetur, de quibus in Capitibus præcedentibus, addemus hic aliqua, quibus eorum sollicitudo, quam eximiam arbitror, acuat. Et ita

Dico primò. Quæuis mora non necessaria, ex quâ is, de cuius delicto agitur, graue detrimentum sustinet, lethalis est in iudiciis, de quibus agimus. Ratio est clara. Quia in eo iniustitia est manifesta, causæ enim S. Officij, cum iuxta iuris peculiaris regulas, subsidio iuris communis, & diuini ac naturalis, transigi debeant, suos habent terminos, quos ultra citraque nequit consistere rectum Tribunalis sancti iudicium, in quo debent summæ æquitas exemplaria resplendere. Vnde Instructio Hispalensis Anno 1494. sic statuit: *Item acordaron y ordenaron, que los que fueren presos por este delito, que no sean fatigados en las carceles en la dilacion del tiempo: que luego se haga el proceso con ellos, porque no aya lugar de quejarse. Y no se detengan à causa de no auer entera probanza; puesque es causa, que quando sobreviene probanza, se puede de nuevo agitar, no obstante la sentencia que fuere dada.* Sic Instructio. Quæ licet sic appelletur, statuta continet fundamentalia pro regimine S. Tribunalis: ad hoc enim viri doctissimi Hispalim conuocari, sic curantibus Catholicis Regibus Ferdinando & Isabellâ, & præsentibus Illustrissim. Dom. D. Petro Gonzalez de Mendoza Archiepiscopo Hispalensi, & Reuerend. P. Fr. Thoma de Torquemada, primo Generali in Hispaniâ Inquisitore. Pro quo Paramus de Origine S. Officij, Titulo 2. Cap. 2. numer. 26. ex quo P. Fragolus Tomo 2. Pag. 513. numer. 46.

Assertio 1. grauius peccari re tardatione; ubi fraudem est notabile.

Instructio Hispalensis.

Quam habeat vim.

24. Dico secundò. Si quis fuerit in carceribus plus iusto detentus, pœna ei debet, sub reatu grauis culpæ, in sententiâ diffinitiuâ, proportionate seruata, remitti. Id videtur ex se satis verissimile; & est iuxta certissima Iuris vtriusque principia, iuxta quæ habetur, quod pœna est commensuranda delicto, ex adductis à Mario Antonino *Lib. 3. variar. Resolut. 39. num. 36. & Resolut. 45. numer. 14. & à Cæsare Carena Parte 3. Titulo 13. num. 93.* Atqui si post pœnam carceris non debitam integra infligatur pœna, non seruatur commensuratio: ergo graue est in eo peccatum. Quod quidem in sancto hoc Tribunali specialiter locum habere debet, misericordiâ & clementiâ semper vti solito, iuxta notata à Simancas de Catholicis Institut. Titulo 47. num. 79. & seqq. & tradita à Carena *suprà Titulo 3. num. 39.* vbi illud: *Y su causa serà despachada con toda la breuedad y misericordia, que vbiere lugar.* Sic statuta. Ex quo, principio firmatur sententia illa, quam cum Soula, & P. Palao tenet Diana *Parte 4. Titulo 7. Resolut. 35.* iuxta quam condemnatus propter hæresim, aut illius suspicionem, pœna arbitraria ob defectum probationis, si plena probatio superueniat & pœna adimpleta sit, compensatur in secundâ, vt non debeat esse ordinaria, nisi sit capitalis, sed detrahendum ex illâ quantum prior alia importat, ne scilicet pœna sit delicto improporionata, & quod ante sententiam passus reus supra delicti meritum, in partem satisfactionis non accipiat. Immo circa pœnam capitalem multoties Inquisitorum arbitrio locum esse, probant ea quæ citatus Carena habet *Pag. 392. §. 69.*

Assert. 2. Minuenda pœnam iuxta carcerationis dilationem.

S. Tribunalis propria clementia.

Statutum pro illa.

Notanda sententia pro Assertionis probatione.

25. Dico tertio. Si ex occupationibus eius, qui

Assertio 3. qui

Quid faciendi ne impedirentur negotiorum curis retardetur. qui loco Ordinarij assistit, aut Consultorum, inexcusabilibus, & passim occurrentibus, retardatio expeditionis proueniat, id debet ita moderari Tribunal, vt alia forma in habendis consultationibus sumatur, ad quod est grauis in conscientia obligatio. E. g. Aliqui ex illis in Tribunali S. Cruciatæ binis diebus per hebdomadas singulas assistunt, per quod fit, vt assistere in Tribunali S. Officij nequeant, & ita causas ad illud spectantes nimium quantum prorogari. Curandum ergo vt diebus aliis labor consultationis accrescat, vel quod deputentur alij minus occupati. Quod quidem satis compertum apparet & consideratione dignissimum, vt à supremo Inquisitionis Prædite, pro suo zelo & potestate amplissimâ circa illud debeat prouideri. Audiui Dominum Inquisitorem super hoc dolentem, & miserorum in carceribus iam diu latitantium angustias miserantem, & se, licet Tribunalis moderatorem, eam prorogata plus quam deberet pœnalitatis excusationem adhibentem, cum nonnullis aliis, quæ ob infirmitates iudicium sacrorum occurrunt, & quæ generis huius sunt, cum euitari nequeant, si cum aliis stabilibus, & ferè quotidianis concurrant, causas facient perennare. Nuper causa extitit personæ cuiusdam sacræ ferè per sexennium agitata, cum reclusionione illius, licet domesticâ. Cuius licet felix fuerit exitus, dolendum tamen eum, qui per sententiam ab instantiâ est absolutus, probrosâ ad eod & prolixâ fuisse reclusionis pœnâ vexatum. Quod quidem ad has debet morarum causas referri. Si autem ex parte aliquorum alia minus iustificata subit, leuis certè esse non potest, vbi ad eod graue reis detrimentum infertur. Et quod ad ægritudines attinet, si illæ vitalitæ sunt, ex quibus creberrima accidit interruptio negotiorum, quis non videat huic occurrendum incommodo, & talibus honore officij & salario referuatis, concedendam vacationem, designatis aliis, qui possint onus tantum sustinere. Pro quo Carena *Parte 1. Titulo 5. numer. 107. & P. Palao Tomo 1. Tractat. 4. Disput. 8. Puncto 13. §. 2. num. 21.*

26. Dico quarto. Circa ciuiles causas etiam peccari grauitur potest, dum illarum expeditio sine legitimo titulo retardatur. Ratio in promptu est, quia ex retardatione grauius detrimenta intereffatis, vt vulgò dicitur, importantur. Vnde & frequentes oriuntur querelæ, in quibus & Inquisitores ipsi aliquando conueniunt, sed aliis, non sibi, retardationis causas tribuentes. Mirabile sane est ad tradendum flammis hominem de Iudaismo conuictum, vnum vel alterum annum post carcerationem sufficere; & ad reddendam dotam vxori multo plures non esse sufficientes, & sic de aliis, quibus bona debent sine excussione confiscata restitui. Quod quidem in eos refundi solet, qui rationibus & computationibus adferuntur. Sed certè vrgeri illi, & pro necessitate causarum multiplicandi, non parcendo moderatis sumptibus, cum illi ad interessatos spectent, qui damnum inde proueniens breuitatis beneficio compensabunt. Videatur Bonacina *Tomo 2. Disput. 20. Quæst. 2. Puncto 3. num. 4.* vbi ex Syluestro, Sayro, Nauarro, & aliis ita scribit: *Index venietur causas iudicare, & celeriter expedire. L. Prope-randum. C. de iudiciis. Ratio est, quia iudici ex officio*

Iudicem mortaliter peccare cum onere restitutionis

cura & onus incumbit iudicandi, & tribuendi cuique suum, non tribuendi autem cuique suum, dum sententiam sine iusta causa differit. Quamobrem index mortaliter peccat contra proprium officium causarum expeditionem notabiliter differendo: immò tenetur parri lesæ damna & expensas, quarum causa est, restituere; quia causa iniusta damni ad illius restitutionem obligatur. Sic ille: cuius resolutionem eisdem ferè verbis proponit Eligius Bassæus *verb. Index n. 11.* & est apud alios communis.

causas præ-trahendo.

Bonacina.

C A P V T IV.

De nonnullis aliis Inquisitorum Indicorum obligationibus in conscientia foro.

27. **D**ico primò. Inquisitores Indici peccare grauitur possunt reorum custodiam hominibus committentes, qui perspectæ fidei non sint. Cum enim ad Indias diuersi homines conuolent, non est obuium moribus integros inuenire; vnde examine opus est nec breui, nec leui, vt ei officio fiat satis, & id impleri absolute possit, quod Clemens V. in priorî de Hæreticis Clementinâ requirit, §. *Sane*, vbi sic ait: *Quia circa custodiam carcerum hæreticorum multas fraudes dudum intelleximus perpetratas: Nos volentes super hoc prouidere, statumur vt quilibet talis carcer duos Custodes habeat principales, discretos, industrios, & fideles, &c.* Et fraudes similes etiam in Indiis perpetratae sunt, vt merito debeat circa hoc DD. Inquisitorum prouidentia indefessè vigilare.

Assertio 1. de obligatione circa custodes reorum.

28. Dico secundò. Peccari etiam non leuiter potest, si carcerati permittantur liberius inter se agere. Circa quod quia non accurate prouisum, grauissima sunt damna subsecuta annis non pridem elapsis: sic enim pestilentes homines ex Iudeorum fæce concilium fecerunt in vnum pendendi multos, & falsa sunt testimonia meditari, quibus & vti: vnde & horrida confusio quamplurium depositionibus retractatis. Damnum autem huiusmodi cum præuidisset Vennense Concilium, sic in citatâ Clementinâ, §. *Porro*, disposuit: *& quod alicui incarcerato nihil vnus in secreto loquatur, quin hoc audiat alter Custos.* Sic iurare illos iubet: si ergo Custos vnus incarcerationum neminem alloqui teste potest; neque etiam poterunt incarcerati ipsi sine testibus inter se miscere colloquia, in quo maius constat periculum inueniri. Neque enim credendum est ad hoc se Concilij prouidentiam non extendisse, cuius ore Ecclesia loquebatur, cum illa eiusdem vox sit in Concilio Lugdunensi: *Vbi periculum maius intenditur, ibi proculdubio est plenius consulendum.* Sic *Cap. 3. de Electione in 6.* Circa prædictam autem Constitutionem sic scribit Glossa: *Nec sumitur tam amare hoc verbum, quin aliter Custos in absentia alterius, caprium alloqui possit de non secretis ipsis incarcerationis.* Sic illa: quibus addi potest, etiam de secretis alloqui posse, quæ ad eorum causam non spectant, neque facere aut officere possunt, vt de obitu aliquorum, de bonis nuntijs circa res Christianas, & similibus. Et quidem

Assert. 2. & ne in carceratis liberè intersentiant.

Clem. II. de hæreticis.

Cap. 3. de Elect. in 6.

Glossa Clement.